



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De curiositate, quæ opponitur studiositati. Quæstio 167.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

scientiam vitet. Quantum ergo ad primum, studiositas in refranatione consistit: & secundum hoc ponitur pars temperantiæ. Sed quantum ad secundum, laus virtutis huiusmodi consistit in quadam vehementia intentionis ad scientiam rerum percipiendam: & ex hoc nominatur. Primum autem est essentialius huic virtuti, quam secundum. Nam appetitus cognoscendi per se respicit cognitionem, ad quam ordinatur studiositas. Sed labor addiscendi est impedimentum quoddam cognitionis. Vnde respicitur ab hac virtute per accidens, quasi remouendo prohibens.

QVÆST. CLXVII.

De curiositate in duos articulos diuisa.

Postea considerandum est de curiositate.

- ¶ Et circa hoc quaruntur duo.
- ¶ Primo, vtrum vitium curiositatis possit esse in cognitione intellectiua?
- ¶ Secundo, vtrum sit in cognitione sensitua?

ARTIC. I.

Vtrum circa cognitionem intellectiuam possit esse curiositas?

802
 3. d. 25.
 q. 2. ar. 3.
 a. 2.
 ¶ c. 6. de
 elinando
 ad si 10.5
 c. 4. p. 2. 4.
 non mul
 tū remo
 uē à fin.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod circa cognitionem intellectiuam non possit esse curiositas: quia secundum Philosophum in 2. Ethic. ¶ in his quæ secundum se sunt bona vel mala, non possunt accipi medium & extrema. Sed cognitio intellectiua secundum se est bona. In hoc enim perfectione hominis videtur consistere, vt intellectus eius de potentia reducatur in actum: quod fit per cognitionem veritatis. Dicit etiam Dion. 4. de diuin. nom. quod bonum animæ humanæ est secundum rationem esse: cuius perfectio in cognitione veritatis consistit. Ergo circa cognitionem intellectiuam non potest esse vitium curiositatis.

¶ 2. Præterea, Illud per quod homo assimilatur Deo, & quod à Deo consequitur, non potest esse multum. Sed quæcumque abundantia cognitionis à Deo est secundum illud Eccl. 1. Omnis sapientia à Domino Deo

Deo est. Et Sapient. seprimo dicitur, Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, &c. Per hoc etiam homo Deo assimilatur, quod veritatem cognoscit: quia omnia nuda & aperta sunt oculis eius, vt habetur ad Heb. quarto. Vnde primi Regum 2. dicitur, quod Deus scientiarum dominus est. Ergo quantumcumque abundet cognitio veritatis, non est mala, sed bona. Appetitus autem boni non est vitiosus. Ergo circa intellectiuam cognitionem veritatis non potest esse vitium curiositatis.

¶ Præterea, Si circa aliquam intellectiuam cognitionem posset esse curiositatis vitium, præcipue esset circa philosophicas scientias. Sed eis intendere non videtur esse vitiosum. Dicit enim Hieron. super Danielem*, Qui de mensa & vino regis noluerunt comedere, ne polluantur; si sapientiam atque doctrinam Babyloniurum scirent esse peccatum, numquam acquiscerent discere quod non licebat. Et August. dicit in 2. de doctrina Christiana †, quod si qua vera Philosophi dixerunt, ab eis sunt tamquam ab iniustis possessoribus in vsu nostrum vendicanda. Non ergo circa cognitionem intellectiuam potest esse curiositas vitiosa.

SED contra est, quod Hieronymus dicit*, Nonne vobis videtur in vanitate sensus, & obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui physicus perscrutator oculos trans cælum leuat? Sed vanitas sensus & obscuritas mentis est vitiosa. Ergo circa intellectiuas scientias potest esse curiositas vitiosa.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est*, curiositas non est directe circa ipsam cognitionem, sed circa appetitum & studium cognitionis acquirendæ. Aliter autem est iudicandum de ipsa cognitione veritatis, & aliter de appetitu & studio veritatis cognoscendæ. Ipsa enim veritatis cognitio per se loquendo, bona est: potest autem per accidens esse mala,

*Daniel 1
sup. illud
proposuit
autē to. 5
& habetur
in de
creto dis.
37 c. qui
de missa.
† lib. 2. c.
40 in pr.
to. 3.
sup. illud
ad Eph. 4
non ambuletis in
vanitate
sensus,
to. 9.
q. præced.
ar. 1.*

la, ratione scilicet alicuius consequentis, vel in quantum scilicet aliquis de cognitione veritatis superbiat (secundum illud primæ ad Corinth. octavo, Scientia inflat): vel in quantum homo utitur cognitione veritatis ad peccandum. Sed ipse appetitus, vel studium cognoscendæ veritatis potest habere rectitudinem, vel peruersitatem. Vno quidem modo, prout aliquis tendit suo studio in cognitionem veritatis, prout per accidens coniungitur ei malum: sicut illi qui student ad scientiam veritatis, vt exinde superbiant. Vnde Augustinus dicit in libro de Moribus Ecclesiæ *, Sane qui desertis virtutibus, & nescientes quid sit Deus, & quanta sit maiestas semper eodem modo manentis naturæ, magnum aliquid se agere putant, si vniuersam istam corporis molem, quam mundum nuncupamus, euriotissime intensissimeque perquirant. Vnde tanta etiam superbia gignitur, vt in ipso celo, de quo sæpe disputant, sibi met habitare videantur. Similiter etiam illi qui student addiscere aliquid ad peccandum, vitiosum studium habent: secundum illud Ierem. nono, Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt inique agerent laborauerunt. Alio autem modo, potest esse vitium ex ipsa inordinatione appetitus & studij ad discendam veritatem. Et hoc quod simpliciter. Vno modo, in quantum per studium minus utile retrahuntur à studio, quod eis ex necessitate tribuit. Vnde Hieronymus dicit *, Sacerdotes dum Euangelij & Prophetis, videmus comedias legere, & amatoria Bucolicorum versus verba canere. Alio modo, in quantum studet aliquis addiscere ab eo à quo non licet: sicut patet de his qui aliqua vitia à demonibus perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas. Vnde August. * dicit in lib. de vera religione, Nescio an Philosophi impedirentur à fide, vitio curiositatis in percunctandis demonibus. Tertio quando homo appetit cognoscere veritatem circa creaturas, non referendo ad debitum finem, scilicet ad cognitionem Dei. Vnde Augustinus dicit in lib.

c. 21. ante
med.
79. 1.

ad Da.
mas. de fi
lio prodi
20, ante
med. 80. 4

1. 4. in fi.
80. 1.

de vera * religione, quòd in consideratione creaturatum non est vana & peritura curiositas exercenda, sed gradus ad immortalia & semper permanentia faciendus. Quarto modo, in quantum aliquis studet ad cognoscendam veritatem supra proprii ingenij facultatem: quia per hoc homines de facili in errores labuntur. Vnde dicitur Ecclesiastici tertio, Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Et postea sequitur, Multos enim supplantavit suspicio eorum, & in vanitate detinuit sensus eorum.

c. 29 pa-
rū à pr.
10. 1.

Ad primum ergo dicendum, quòd bonum hominis consistit in cognitione veri. Non tamen summum hominis bonum consistit in cognitione cuiuslibet veri, sed in perfecta cognitione summæ veritatis, ut patet per Philosophum in decimo Ethicorum *. Et ideo potest esse vitium in cognitione aliquorum verorum, secundum quòd talis appetitus non debito modo ordinatur ad cognitionem summæ veritatis, in qua consistit summa felicitas.

c. 7 et 8.
10. 5.

Ad secundum dicendum, quòd etsi ratio illa ostendit quòd cognitio veritatis secundum se bona sit, non tamen per hoc excluditur quin possit aliquis cognitione veritatis abuti ad malum, vel etiam inordinate cognitionem veritatis appetere: quia etiam oportet appetitum boni debito modo regulatum esse.

Ad tertium dicendum, quòd studium Philosophiæ secundum se est licitum, & laudabile, propter veritatem quam Philosophi perceperunt, Deo illis reuelante, ut dicitur ad Romanos primo. Sed quia quidam Philosophi abutuntur ad fidei impugnationem, ut Apostolus dicit ad Colos. secundo, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam & inanem scientiam, secundum traditionem hominum, & non secundum Christum. Et Dionysius dicit in Epistola ad Pothypum *, de quibusdam philosophis, quòd diuinis

inter pr.
et mod.
illius.

ARTIC. II.

Vtrum vitium curiositatis sit circa sensitiuam cognitionem?

803

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod vitium curiositatis non sit circa sensitiuam cognitionem. Sicut enim aliqua cognoscuntur per sensum visus, ita etiam aliqua cognoscuntur per sensum tactus & gustus. Sed circa tangibilia & gustabilia non ponitur vitium curiositatis, sed magis vitium luxuriae & gulae. Ergo videtur quod nec circa ea que cognoscuntur per visum, sit vitium curiositatis.

ca. 8. in
med. to. 1

¶ 2 Præterea, Curiositas videtur esse in inspectione ludorum. Vnde August. dicit in 6. Confes. quod quodam pugnae casu cum clamor ingens totius populi vehementer Alipium pulsasset, curiositate vitium aperuit oculos. Sed inspectio ludorum non videtur esse vitiosa: quia huiusmodi inspectio delectabilis redditur propter representationem, in qua homo naturaliter delectatur, vt Philosophus dicit in sua poetria. Non ergo circa sensibilem cognitionem est vitium curiositatis.

c. 2. to. 6.

in 1. ca.
nens 10.

c. 1.
c. 38. cir-
ca med.
praecipue
to. 1.

¶ 3 Præterea, Ad curiositatem pertinere videtur actus proximorum perquirere, vt dicit Beda. Sed perquirere facta aliorum non videtur esse vitiosa: quia sicut dicitur Eccles. decimo septimo, Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Ergo vitium curiositatis non est in huiusmodi particularibus sensibilibus cognoscendis.

† sup. il-
lud 1. 10.
Omne qd
est in mū-
do aut est
concupi-
scentiar
nis, &c.

SED contra est, quod August. dicit in lib. 9. de vera relig. quod concupiscentia oculorum redit homines curiosos. Vt autem dicit Beda, Concupiscentia oculorum est non solum in discendis magicis artibus, sed etiam in contemplandis spectaculis, & in discendis & carpendis vitijs proximorum: quæ sunt quædam particularia sensibilia. Cum ergo concupiscentia oculorum sit quoddam vitium, sicut etiam super-

Superbia vitæ, & concupiscentia carnis, contra quæ dividitur 1. Ioan. 2. videtur, quòd vitium curiositatis sit circa sensibilia cognitionem.

RESPONDEO dicendum, quòd cognitio sensitiva ordinatur ad duo. Vno enim modo, tam in hominibus quam in alijs animalibus ordinatur ad corporis sustentationem: quia per huiusmodi cognitionem homines & alia animalia vitant nociua, & conquirunt ea quæ sunt necessaria ad corporis sustentationem. Alio modo, specialiter in homine ordinatur ad cognitionem intellectuam, vel speculatiuam, vel practicam. Apponere ergo studium circa sensibilia cognoscenda, dupliciter potest esse vitiosum. Vno modo, in quantum cognitio sensitiva non ordinatur in aliquid vtile, sed potius auertit hominem ab aliqua vtili consideratione. Vnde August. dicit in decimo Confess. * Canem currentem post leporem iam non spectro, cum in circo sit. At verò in agro si casu transeam, auertit me fortassis ab aliqua magna cogitatione, atque ad se conuertit illa venatio. Et nisi iam mihi demonstrata infirmitate mea, cito admoneas, vanus hebesco. Alio modo, in quantum cognitio sensitiva ordinatur ad aliquod noxium: sicut inspectio mulieris ordinatur ad concupiscendum, & diligens inquisitio eorum quæ ab alijs fiunt, ordinatur ad detrahendum. Si quis autem cognitoni sensibilia intendit ordinatè, propter necessitatem sustentandæ naturæ, vel propter studium intelligendæ veritatis, est virtuosa studiositas circa sensibilem cognitionem.

Ad primum ergo dicendum, quòd luxuria & gula sunt circa delectationes, quæ sunt in vsu rerum tangibilium. Sed circa delectationem cognitionis omnium sensuum est curiositas, & vocatur concupiscentia oculorum: quia oculi sunt ad cognoscendum insensibilibus principales. Vnde omnia sensibilia videri dicuntur, vt August. dicit in decimo libro Confess. * Et sicut Augustinus ibidem subdit †, ex hoc euidentius discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur.

Sec. Sec. Vol. iij.

E c tur

c. 35. pau
lo ante fi
nem, to. 1

* c. 35. §. 1
† lib. 10.
c. 35. an
te med.
to. 1.

tur per sensus, quod voluptas pulchra, suavis, canora, sapida, lenia, sectatur. Curiositas autem etiam his contraria tentandi causa non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidinem.

Ad secundum dicendum, quod inspectio spectaculorum vitiosa redditur, in quantum per hoc homo fit pronus ad vitia vel lasciuia vel crudelitatis, per ea, quæ ibi representantur. Vnde Chrysostomus dicit, quod adulteros & inuerecundos constituunt tales inspectiones.

hom. 6.
in Matt.
nō remō-
tē a fine,
10. 2.

Ad tertium dicendum, quod prospicere facta aliorum, vel inquirere bono animo, vel ad utilitatem propriam, ut scilicet homo ex bonis operibus proximi prouocetur ad melius, vel etiam ad utilitatem illius, ut scilicet corrigatur si quid ab eo agitur vitiose, secundum regulam charitatis, & debitum officij, est laudabile: secundum illud ad Hebr. decimo, Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum. Sed quod aliquis intendat ad consideranda vitia proximorum, ad despiciendum, vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietandum, est vitiosum. Vnde dicitur Prouerbiorum vigesimo quarto, Ne insidieris & quæras impietatem in domo iustij, neque vastes requiem eius.

QVÆST. CLXVIII.

De modestia, prout consistit in exterioribus corporis motibus, in quatuor articulos diuisa.

Postea considerandum est de modestia, secundum quod consistit in exterioribus motibus corporis.

- ¶ Et circa hoc quærentur quatuor.
- ¶ Primo, utrum in exterioribus motibus corporis, qui serio aguntur, possit esse virtus & vitium?
- ¶ Secundo, utrum possit esse aliqua virtus circa actiones ludi?
- ¶ Tertio, de peccato quod fit in excessu ludi.
- ¶ Quarto, de peccato ex defectu ludi.